



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

7. Unde Prima, variæ ejus partes, & per hebdomadam divisiones  
Psalmorum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

omnia tres Nocturni, tres in quolibet Lectio-  
nes, & tria Responsoria semper nobis inculcant  
Mysterium SS. Trinitatis. 12. Psalmi feriales  
ideo sunt constituti, quia 12. sunt horæ noctis,  
& cuilibet horæ Psalmus respondet.

6. *Unde Laudes, cur in iis iidem Psalmi duobus  
exceptis certis temporibus.*

**L**audes, quæ cum Matutino unam horam  
conficiunt, inde dictæ sunt; quòd aperte  
sonent *divinas laudes*. Dicuntur autem in Lau-  
dibus semper Psalmi iidem in Dom. & Festis,  
Nisi quòd duo primi mutantur in Dom. à Sep-  
tuagesima usque ad Dom. Palmarum inclusivè,  
vice quorum dicimus Psalmos *Miserere & Con-  
fitemini* ad timorem ob peccata incutiendum in  
primo, & in altero ad spem excitandam ob bo-  
nitatem Dei. Et quia tunc non est tempus læ-  
titiæ, quam exprimunt duo primi Psalmi *Do-  
minus regnavit & Jubilate*. Interim quia, si per  
integram hebdomadam diceretur de Feria  
(quòd olim necdum multiplicatis ita festis nil  
erat novi) totum Psalterium deberet absolvi,  
Psalmus *Dominus regnavit* dicitur in *Prima &  
Jubilate* in Matut. Sabbathi, quando non fit  
officium de B. V.

7. *Unde Prima, varia eius partes, & per heb-  
domadam divisiones Psalmorum.*

**P**lures docent & rectè (contra alios volentes  
*Prima* usum antiquiorem esse) quòd ante  
Callianum *Prima & Completorium* saltem in tali  
forma



forma non fuerint. In Reg. S. Benedicti & Conc. Cabilon. 2. *Prima* fit mentio. Post ortum solis congruè recitatur ( ut Hymnus ipse *Jam lucis orto sydere* indicat ) ut scilicet ipso solis ortu solem justitiæ nobis orientem postulemus, & primâ horâ etiam primùm quæramus regnum Dei, primasque cogitationes velut quasdam lucis primitias Deo offeramus. In *Prima* Dominicæ & Feriarum sunt 4. Psalmi. In Dominica quartus Psalmus est *Confitemini*, quia in eo versus est de *Resurrectione Christi* in die Dominicâ factæ. Feria V. *Dominus regit me*, quia in eo agitur symbolicè de *Eucharistia*. Feria 6. Psalmus *Deus, Deus meus* totus est de passione Domini. In *Sabbatho* sunt tantùm tres Psalmi; quia nullus ex Psalterio superest, qui assignari Sabbatho possit. Subditur in Dominica Symbolum S. Athanasii, quia fides fundamentum est omnis boni operis. In festis & tempore Paschali tantùm dicuntur tres Psalmi, quia jucunditas ob festivitatem excludit laborem multa canendi. Primus Psalmus in *Prima* *Deus in nomine tuo* oratur tanquam pro totius diei decursu contra hostes animæ aptissimus. Ter dicitur post orationem *Sancta Maria, Deus in adjutorium*. Ut peccata præsentia ac præterita deleamus, & futura caveamus. Item ut armemur in nomine SS. Trinitatis contra Diabolum, mundum & carnem. Capitulum post Psalmos in *Prima* non legebatur antiquitùs. Quia tamen post Primam conveniebant Monachi ad lectionem communem. Vice ejus etiam modò ab aliis



aliis horas recitantibus legitur Lectio brevis,  
prout vocatur in Breviario.

*Laudes & Vespera sibi similes sunt, sicut etiam  
Prima & Completorium.*

**D**Emum Gavantus observat, Laudes & Ve-  
speras dein Primam & Completorium sibi  
affines esse. Nam in Prima & Completorio fit  
Confessio. Cantico Simeonis in Completorio  
respondet Symbolum S. Athanasii in Prima. Dein  
Hymni, Capitula, preces in utraque hora ita  
sunt disposita. Ut initio diei & noctis arme-  
mur contra hostes diurnos & nocturnos, sua-  
vique [quod monebat Ambros.] Psalmorum  
celebritate ita dies clauditur & inchoatur, sicut  
aves suavi modulatione ortus dierum ac noctium  
prosequuntur.

8. *Unde Tertia, Sexta, Nona.*

**T**ertia, Sexta & Nona, ut vide supra num.  
4. notissimæ fuere Apostolorum tempore.  
Sunt & alia de his horis in S. Script. exempla.  
Daniel ter orabat de die. *Hora tertia* datus est  
Spiritus S. quem & nos petimus in hymno *ad  
Tertiam*. Lex nova data est Apostolis, de qua  
*ad Tertiam* dicimus *Legem pone mihi Domine.*  
*Horâ 6tâ* Christus cum Samaritana sermonem  
habuit, & docuit Deum in Spiritu adorandum.  
*Horâ 9nâ* Centurio Cornelius Angelum vidit  
Act. 10.